



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sponsalia Et Matrimonium

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

Titulus VII. De eo, qui duxit in Matrimonium, quam pollut per Adulterium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

nifestatione periculum subijt deserendi Religionem, vel saltem præcepta Divina de ciborum uetitorum abstinentia transgrediendi.

140 Quæritur 9. Utrum in Germania, aliisque Septentrionalibus Provincijs, in quibus Hæretici cum Catholicis permixti degunt, licita sint conjugia inter personas Catholicas, & Hæreticas? *¶* ex recepta, & tolerata consuetudine licita esse, Ita Azor, p. 1. l. 8. c. 11. q. 5. Gutier. de Matr. c. 104. n. 7. Sanch. l. 7. D. 72. n. 5. Bonacin. de Matr. q. 3. p. 7. n. 2. Hurtad. D. 24. diff. cult. 2. fin. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 2. 7. secundo limitat, Engl tit. de Matr. contr. Interd. Eccl. §. 2. n. 2. König bic n. 23. Illfung. tr. 6. D. 9. n. 88. Petra tom. 4. fol. 75. n. 11. si tamen adsint conditiones supra requisitæ, videlicet. 1. sufficiens causa, eaque gravis. 2. ut nullum sit periculum perversionis, sed conjugii Catholico permittatur liberè in Fide permanere. 3. ut absit scandalum,

140 Monent tamen cum cist. DD. Conink D. 31. dub. 3. fin. Pal. tr. 28. D. 4. p. 11. n. 10. Aversa de Sacr. Matr. q. 18. de Imped. Dispar. Cult. sect. 2. Verricell. de Apostol. Mission. q. 174. sect. 7. n. 30. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 5. n. 61. prædicta pericula, & Catholicorum scandalum rarò abesse: & propterea in praxi Catholicos ab ejusmodi conjugijs absterrendos; nisi ex ijs procreata proles omnes Catholicè educentur, atque insuper spes sit Hæretici conjugis converendi, vel alterius cujusdam fructus. Si dubium sit, utrum ejusmodi mala sequi possint, ad Summum Pontificem, vel etiam Episcopum in Germania nostra pertinebit rem examinare, &

contrahendi Matrimonij licentiam dare. Laym. l. cit.

Quæritur 10. An licita sint pacta, quæ conjugijs inter Hæreticum maritum, & uxorem Catholicam initis sæpe adduntur, ut aliqui ex liberis v. g. masculi Hæresin sequantur Patris, Fæminæ Fidem Catholicam Matris, aut vicissim? *¶* Hæc pacta esse prorsus impia, & irrita. Azor p. 1. l. 8. c. 11. q. 6. Gutier. de Matr. c. 104. n. 8. Sanch. l. 7. D. 72. n. 6. Amicus D. 21. n. 16. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 3. Sporer de Matr. n. 120. Illfung tr. 6. D. 9. n. 88. Engl tit. de Matr. contr. Interd. Eccl. §. 2. n. 3. Pirhing tit. de Spons. n. 167. König bic n. 23. Ratio est, quia Parentes tenentur omnes liberos suos in vera Fide educare, cui obligationi renuntiare nullo modo possunt, Imò si conditio hæc apponatur ipsi contractui Matrimoniali, tanquam repugnans bono prolis, vitiat contractum, & facit eundem irritum, ut bene advertit Magnif. P. Schmier p. 3. de Matrim. c. 5. n. 57. & patet ex dictis Tit. præc. n. 117.

Excipitur, si aliunde hujusmodi Matrimonium licitum fiat, eò quòd v. g. per illud speretur promovendum bonum publicum; tunc enim si spes non sit, ut maritus Hæreticus permittat omnes Liberos in Catholica Religione educari, hoc casu non videretur esse illicitum in Pactis conjugalibus talem conditionem adjicere, ut saltem aliqua pars Liberorum in Fide Catholica educetur, & instruatur; salvo tamen jure Matris Catholicæ, ut etiam cæteros Liberos, quantum fieri poterit, in vera Religione instruere, ut tenetur, non prætermittat.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium.

147 Sequitur Impedimentum criminis, quod antiquo Jure duplex fuit, Impediens, & Dirimens: nunc per non usum, sublato Impedimento criminis, quatenus Impediens est, mansit solum, prout est Dirimens. Oritur ex Adulterio, & Homicidio, sive machinatione in necem conjugis, & Matrimonium

dirimit non cum quacunque sed cum eadem axat persona, cum qua commissum est Adulterium, vel contra cujus consortem commissum est. De utroque in hoc Titulo agitur, quamvis in Rubrica primi duntaxat mentio fiat: unde Nigrum, ut Canonistæ loquuntur, hoc Titulo latius patet, quam Rubrum.

§. I.

De Impedimento Criminis orto ex Adulterio.

S U M M A R I U M.

1. Impedimentum hoc oritur ex adulterio, accedente Matrimonio cum adultera, vel promissione illius, superstitute conjugis legitimo.

2. Non incurritur, si uterque Infidelis sit.

3. Etiam si deum unus illorum convertatur ad

R. P. Schmalzgrueber L. IV.

Fidem, & post Baptismum vel adulterium vel Matrimonium cum adultero ineat.

4. Ecce. Concurrere necessarium ad Impedimentum hoc inducendum debet Adulterium cum Matrimonio, vel promissione illius.

H h 2

8. Per-

8. Perinde autem est, an praeceperit adulterium, vel subsequatur.
9. Neesse tamen est, ut promittatur Matrimonium contrahendum post obitum conjugis.
10. Item adulterium debet esse formale, & uterque scire, alterum complicem esse conjugatum.
11. Non tamen excusat ignorantia supina, & crassa.
12. 13. Et satis est, si alterutrum subsequatur notitiam de statu alterius complicis.
14. Copula autem adulterina debet esse perfecta.
15. Ipsa tamen attentatio Matrimonij sufficit, etsi clam facta sit, absque Parocho, & testibus.
16. Modo tam adulterium, quam Matrimonium attentatum, vel ejus promissio facta sit, supersite legitimo conjuge.
17. 18. 19. Neesse tamen est, ut utrumque fiat, durante eodem conjugio.
20. Promissio Matrimonij debet esse acceptata.
21. Nec sufficit taciturnitas promissarii.

22. 23. 24. Item non sufficit promissio vel acceptatio promissionis ficta.
25. 26. 27. 28. Debet eadem promissio esse pura, & absoluta, vel saltem conditio ei adjecta esse purificata ante mortem conjugis.
29. 30. 31. An ad inducendum hoc impedimentum requiratur, ut promissionem ab una parte factam, sequatur repromissio alterius partis?
32. 33. 34. Vel jurata?
35. An Matrimonium, contra cujus fidem committitur adulterium, debeat esse validum?
36. Vel consummatum?
37. 38. 39. Quid juris, si pars altera, cum qua contractum est adulterinum conjugium, nescivit, quod is, cum quo contraxit, sit conjugatus?
40. 41. An licite, aut valide saltem promitti alicui Matrimonium possit, vivente adhuc legitimo conjuge?
42. Proponuntur summam conditiones omnes, quae requiruntur ad inducendum hoc impedimentum?

Quæritur 1. Quando oriatur hoc Impedimentum? *1.* oritur duobus casibus. *1.* Quando adulter Matrimonium cum adultera contrahit, conjugem, quem uterque, vel alter eorum habet, adhuc vivente. *2.* Quando inter duos adulterium commissum est, interveniente promissione Matrimonij, contrahendi post obitum conjugis, quem alter, vel uterque viventem habet.

Primum statutum est *c. cum haberet 5. b. tit.* Vis illius est, ut irritum sit Matrimonium non tantum illud, quod utriusque, vel alterius conjugem vivente, contractum est, propter intercedens Impedimentum ligaminis, sed etiam id, quod isto per conjugis, quem uterque, vel alter habuit, obitum soluto, contrahendum est. Alterum introductum est *can. relatum 4. caus. 31. q. 1. c. significasti 6. c. veniens 7. & c. fin. b. tit.* Estque hujus Impedimenti eadem vis, quæ prioris; nam etiam hoc casu conjugium inter illos consistere nequit, quamvis adulteri, vel adulteræ conjux sit mortuus.

Ratio hujus Impedimenti inducendi justissima fuit, ut fidei Matrimoniorum, & conjugum incolumitati consideretur, præcisâ adulteris omni spe conjugij, quod promissum est, obtinendi, vel si illud defacto contractum jam est, stabiliendi.

Quæritur 2. Inter quos oriatur hoc impedimentum? *Certum est 1.* Inter infideles illud non habere locum, nisi speciali Lege apud ipsos inductum hoc sit. *Sanch. l. 7. de Matr. D. 79. n. 42.* Ratio est, quia impedimentum hoc solo Jure Ecclesiastico inductum est, ad cujus observantiam Infideles non obligantur. *Certum est 2.* Idem Impedimentum induci casu, quo unus

fidelis est, & hic cum Infideli commisit adulterium, accedente promissione Matrimonij futuri, aut ipso ejus contractu de præsentibus. *Veracruz p. 1. Specul. art. 34. post concl. 9. dub. 3. Vega tom. 2. Summ. c. 34. cas. 123. Sanch. l. cit. n. 43. & colligitur arg. c. laudabilem 1. de convers. infid. Ratio est, quia hoc casu Impedimento ligatur Fidelis; igitur per consequentiam, & indirectè eodem etiam ligatur Infidelis, cum ipso contracturus Matrimonium, utpote quod non potest consistere, nisi inter duos.*

Dubium est in casu, quo uterque est Infidelis, & unus deinde convertitur ad Fidem Christianam, ita, ut vel Adulterium, vel Matrimonium, aut promissio futuri Matrimonij, fiat post Baptismum, altero eorum hunc præcedente? *Veracruz l. cit. dub. 4. Vega cas. 123. cit. Barth. à Ledem. dub. 58. de Matr. in fin.* putant eo casu Impedimentum Nuptiarum induci ex causa criminis. *Sed melius negat. Sanch. cit. n. 43. fin.* quia licet in hoc casu concurrat adulterium cum Matrimonio, vel ejus promissione, non tamen utrumque contigit tempore habili: quod videtur ad inducendum istud necessarium esse; prout probari potest à pari cum eo, qui ante Matrimonium in initio cum Bertha fidem de eo contrahendo dat Caja, & deinde stante Matrimonio in initio cum Bertha, adulterium committit cum Caja; nam hic mortuâ Berthâ, non impeditur contrahere cum Caja, nisi simul cum adulterio renovaverit promissionem Cajæ factam, ideo præcisè, quia promissio Matrimonij non est facta tempore habili ad inducendum hoc impedimentum. atqui non minus inhabile est tempus Infidelitatis, quo delinquens nullo modo est sub potestate Ecclesiæ, ergo &c.

Quæ

Quæritur 3. Utrum ad incurrendum hoc Impedimentum requiratur semper, ut cum adulterio intercesserit promissio Matrimonij, vel ejus contractus de facto, vivente uxore? Rationem dubitandi faciunt complures Canones relati *caus. 31. q. 1.* quibus absolute, & sine addito statuitur, ut nullus ducat in Matrimonium, quam prius polluit per adulterium: quos Canones præ oculis habens Alexander III. *c. propositum 1. b. tit. Licet*, inquit, in Canonibus habeatur, ut nullus copulet Matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maxime, cui fidem dedit uxore sua vivente, vel que machinata est in mortem uxoris &c. ubi particula Maxime, videtur indicari, hos duos casus præcipue inducere Impedimentum criminis, & præter hos duos induci illud etiam solo adulterio.

Sed certa est doctrina, quod ad incurrendum hoc impedimentum non sufficiat Matrimonium, vel promissio ejus sine adulterio, neque adulterium sine alterutro illorum, sed necessarium sit, ut adulterio jungatur vel ipsum Matrimonium cum adultera defacto contractum, vel saltem promissio illius post obitum legitimi conjugis contrahendi, aut (quod ad *S. seq.* pertinet) ut eorum alter in adhuc viventis sui, vel alterius conjugis mortem cum effectu sit machinatus. Ita Sanch. *l. 7. de Matr. D. 79. n. 2.* Gutier. *de Matrim. c. 105. n. 1.* Conink *D. 31. de Sacram. n. 56. § 63.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 12. n. 2. fin.* Wagnereckin *c. 2. h. tit. not. 2. § in c. fin. eod. v. conditio prima.* Illung *tr. 6. D. 9. n. 83.* Canis. *h. tit. n. 7.* Vallens. *ibid. n. 2. §. tertius casus.* Zoesl. *n. 4.* Honor. *n. 1.* Engl. *n. 1. § 2.* Schamb. *n. 2. § 9.* König *n. 3.* Reiffenstuel *n. 2. § 7.*

Et quidem, quod adulterium solum non constituat Impedimentum dirimens, patet ex *c. significasti 6. b. tit.* ubi ad questionem, an valeat Matrimonium viri cum illa, cum qua prius, vivente adhuc uxore sua, adulterium commisit, Innocentius III. Nos igitur, inquit, inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo, legitimum iudices Matrimonium supradictum.

Quod verò etiam non sufficiat, si quis vivente legitima sua uxore, fidem dedit alteri de ea ducenda post mortem uxoris, vel cum ea defacto contraxit Matrimonium, non verò, uxore vera superstiti, eam cognovit, patet ex *c. fin. eod.* ubi statuitur, hoc casu Matrimonium, contractum post obitum uxoris, non esse dirimendum; quamvis enim etiam sola promissio possit inducere Votum captandæ mortis, tamen impedimenta Matrimonij, tanquam odiosa, potius restringenda sunt, quam ultra casus in Jure expressos extendenda; & majus semper est periculum, si promissio jungatur adulterio, quam si sit sola, cum homines libidi-

ne excacati majora facinora temere audere soleant. Engl. *hic n. 2.*

Neque obstant Canones relati *caus. 7. 31. q. 1.* quia, ut notat Gloss. in *c. fin. cit. V. cognovit eandem*, Alex. de Nevo *ibid. n. 1. § 6.* & alij passim, intelligendi sunt, quando utrumque concurrat, adulterium scilicet cum Matrimonio defacto contracto, vel promissione illius post obitum conjugis contrahendi. Ad textum *c. propositum cit.* Abb. *ibid. n. 3.* Alex. de Nevo *n. 6.* Præpos. *n. 2.* Barbof. *n. 5.* Gutier. *c. 105. n. 2.* Conink *D. 31. n. 64.* Palao *D. 4. cit. p. 12. n. 2.* & alij passim dictionem Maxime exponunt pro Tantum, vel Duntaxat, ut sensus sit, tantum his casibus ob adulterium incurri Impedimentum dirimens criminis. Sed quia explicatio ista videtur esse torta, hinc melius Gratianus in *can. illud verò 3. §. hic subaudiendum q. cit.* ait, supradictis Canonibus non prohiberi præcisè, ne adulter contrahat Matrimonium cum Adultera, defuncto marito adulteræ, sed ne contrahat ante peractam poenitentiam ob adulterium à se commissum. Hanc interpretationem sequitur Canis. *n. 7. cit.* Wagnereck in *c. propositum cit. not. 1.* Pirhing *hic n. 2.* & confirmatur ex *can. siquis vivente 5. q. cit.* ubi habetur, quod siquis vivente marito, conjugem illius adulterasse accusatur, possit post peractam poenitentiam viduam ejus in conjugem ducere, quam viro vivente, per adulterium polluit.

Quæritur 4. Quando necesse sit, ut Matrimonium in initum, aut fides de Matrimonio cum adultera ineundo huic data sit, ad inducendum hoc impedimentum? R. perinde est, an præcesserit adulterium, vel subsequatur; in utroque enim casu incurritur Impedimentum hoc dirimens. Alex. de Nevo in *c. fin. b. tit. n. 7.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 79. n. 3.* Wagnereck in *c. fin. cit. v. prima conditio*, Engl. *hic n. 7.* Pirhing *n. 1.* Schambog. *n. 6.* König *n. 12. fin.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 6.* Ratio est, quia in utroque casu præbetur ansa captandæ mortis conjugis. Excipitur, si partes à Matrimonio defacto contracto, vel promissione illius ante adulterium mutuo consensu resilierint; nam etsi postea Adulterium casu subsequutum sit, priori contractu non iterato, non inducitur Impedimentum istud; quia prior ille contractus fidei data, aut Matrimonij omnino extinctus est. & sic non concurrunt adulterium, & fides, seu contractus de presenti. Gutier. *de Matr. c. 105. n. 28.* Sanch. *l. cit. n. 7.* König *hic n. 12. fin.* Aliud dicendum, si post adulterium resiliatur à Matrimonio cum adultera defacto contracto, vel promissione illius; tunc enim istud nihil conferet ad evadendum hoc Impedimentum; nupote quod jam incurserunt, & à quo poenitentia sua se liberare non possunt. Sanch. *l. cit.*

Dubium fieri potest, an sufficiat ad Impedimentum hoc inducendum promissio Matrimonij ineundi ante obitum alterius conjugis? *Rationem dubitandi faciunt textus c. propositum 1. c. veniens 7. Et c. fin. b. tit. qui dum explicant, promissione Matrimonij ineundi, juncta cum adulterio, induci Impedimentum istud, genericè loquuntur, neque distinguunt inter promissionem Matrimonij ineundi vivente altero conjugè, & inter promissionem ineundi Matrimonij isto mortuo.*

Sed dicendum, non sufficere, si adulteri sibi fidem dent de Matrimonio inter eos ineundo ante alterius conjugis obitum, sed necesse esse, ut defacto ante alterius conjugis obitum copulentur, vel de Matrimonio post istius obitum ineundo dent sibi fidem. Sanch. l. cit. n. 2. Ratio est, quia promissione Matrimonij contrahendi, priore legitimo Matrimonio stante, non ita datur ansa captandæ mortis alterius conjugis, quæ ratio est hujus impedimenti, cum non expectetur mors alterius conjugis ad Matrimonium perficiendum, nec eò usque promissio differatur.

Neque obstat generalitas textuum in Ratione dubitandi allegatorum; quia hanc fatis restringit can. reiatum 4. caus. 31. q. 1. ibi, Insuper mæcha, vivente viro suo, juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixeret, duceret uxorem.

Quæritur 5. Quale adulterium esse debeat, ut inducatur hoc Impedimentum? Debet esse formale: atque hinc necesse est, ut uterque adulter sciat, alterum esse conjugatum. Sylv. v. Matrimonium 8. q. 9. dicit. 4. Sanch. l. 7. de Matr. D. 19. n. 31. Gutier. de Matr. c. 105. n. 28. §. tertia conditio. Conink D. 31. n. 61. Palao tr. 28. D. 4. p. 12. n. 8. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 2. §. id verò, §. n. 4. Barbos. in c. 1. b. tit. n. 2. Gonzal. in c. fin. n. 4. Wag-nereck ibid. §. 5. denique. Vallens. hic n. 2. §. tertius, Canif. n. 1. Zoef. n. 3. Honor. n. 5. Engl. 8. Schambog. n. 6. König n. 11. Reiffentuel n. 1. & colligitur ex c. propositum 1. b. tit. ubi pro valido habetur Matrimonium, quod post mortem uxoris suæ quis contraxit cum muliere, insciã, quòd ille haberet aliam uxorem viventem, non obstante adulterio inter ipsos commisso cum promissione Matrimonij: & ratio est, quia tali casu non est commissum formaliter adulterium ex parte utriusque. Imò, nec sufficit, si uterque adulter fuit conjugatus, & novit proprium conjugium, si tamen ignoravit conjugatum esse complicem; quia impedimentum hoc institutum est propter injuriam irrogatam ab utroque adultero eidem Matrimonio, committendo adversus illud adulterium data fide futurarum nuptiarum. At in hoc evenrò ignorans non infert injuriam eidem Matrimonio, sed soli proprio; ergo &c. Sanch. l. cit.

Dubium est, quænam ignorantia statim alterius complices excuset ab isto impedimento, an quævis etiam supina, & crassa, an tantum probabilis, quæ rationabiliter credit alterum non esse conjugatum? Etiam crassam, & supinam excusare contendunt Sanch. l. cit. n. 32. Gutier. c. 105. §. tertia conditio, Rebell. l. 3. q. 8. eò, quòd hæc ignorantia non fit Juris, sed facti; in facto autem excusat quælibet ignorantia juxta Reg. ignorantia 19. in 6. Accedit, quia Impedimentum hoc nascitur ex adulterio, ad quod omnes fatentur requiri dolum l. si ex lege 43. ff. ad Leg. Jul. de adult. at dolus consistere cum ignorantia nequit; ergo &c.

Sed meliùs Navar. Man. c. 22. n. 46. Valent. tom. 4. D. 10. q. 5. p. 3. Conink D. 31. n. 61. Hurtad. D. 23. difficult. 2. n. 7. Palao tr. 28. D. 4. p. 12. n. 8. cum communi teste Sanch. l. cit. censent, solam ignorantiam, quæ ab Adulterij culpa excusat, excusare ab hoc impedimento; excusat autem solum ignorantia probabilis, non crassa, & supina; ergo &c.

Neque obstat, quòd stante qualibet ignorantia statim alterius conjugis, non reputetur adulterium ad incurrendas poenas latis in Lege Julia de adulterijs; quia illæ poenæ, utpote gravissimæ, meritedigunt adulterium dolo commissum; at hoc Impedimentum non tam in poenam adulterij, quam pro removenda occasione insidiandi vitæ conjugis statutum est; sufficit ergo adulterium esse culpabile.

Quæritur 6. An ad inducendum hoc Impedimentum sufficiat, si ante scientiam de statu alterius complices ininitum sit Matrimonium, & habitã scientiã, commissum adulterium? Sufficere, quia in eodem Matrimonio perseverando, & eo post scientiam obtentam utendo, censetur quasi contractum Matrimonium post scientiam; unde cum tale Matrimonium hujusmodi adulterio junctum non minus ansam præbeat machinandi in mortem conjugis, casus iste censetur comprehendendi sub dispositione Juris inducentis hoc Impedimentum. Excipitur, nisi complices jam habitã scientiã, resilierint ab eo matrimonio defacto inito, & post casu commiserint adulterium, prout jam dictum est supra n. 8.

Dubium est, an etiam inducatur Impedimentum istud, quando notitiam conjugij fides de Matrimonio ineundo præcessit, & habitã notitiã, subsecutum est adulterium. Negativam videntur tenere Sot. in 4. dist. 37. q. un. art. 4. col. pen. & Lud. Lop. p. 2. Instrucl. c. 54. col. 4. in 3. crimin. ubi dicunt, tunc esse locum huic impedimento, quando vir, postquam novit feminam esse conjugatam, illam fide data cognovit; atque ita videntur petere, ut utrumque sequatur notitiam conjugij. Sed

Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam post Abbatem, Angelum, Rosellam, Veracruces, Henricum, defendit Sanch. c. 7. de Matr. D. 79. n. 34. modò notitiã dein habitã, ante adulterium fides data mutuo consensu non dissolvatur. Ratio est, quia quoad hoc Impedimentum Matrimonium, & fides data de Matrimonio contrahendo æquiparantur c. fin. h. tit. igitur sicut Matrimonium juxta dictã n. præc. inducit hoc impedimentum, licet ante notitiã conjugij contractum sit, ita & fides. Conf. Quia copula postea habita, nondum fide dissoluta, illi innititur; & non minùs ansa captandæ mortis conjugis præbetur, quàm si utrumque contingeret post scientiam.

Neque obstat, quòd impedimentum istud non præstat copula inita ante notitiã de statu conjugis, licet hac notitiã obtentã, complices defacto contrahant Matrimonium; nam aperta disparitas ex eo patet, quòd talis copula ante notitiã ex parte ignorantis minimè sit verum adulterium, quale tamen secundum dictã n. 10. requiritur ad inducendum hoc Impedimentum.

14. Quæritur 7. An Impedimentum istud inducat copula adulterina etiam attentata tantum, & conatus ad illam? In partem affirmativam inclinat Host. in c. fin. h. tit. n. 1. Sed contrarium tenent Gloss. in c. fin. cit. V. cognovit, Joan. Andr. ibid. n. 4. Abb. n. 6. Anchar. n. 4. Alex. de Nevo n. 9. Brunell. de sponsal. concl. 34. n. 4. Gutier. de Matr. c. 105. n. 28. Sanch. l. 7. D. 97. n. 2. Conink D. 31. n. 62. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 4. §. tertia conditio, Barbof. in c. fin. cit. n. 4. Engl. tit. de Spons. duor. n. 4. Canif. hic n. 1. Pirhing ibid. n. 15. Schambog. n. 11. Wiestner n. 9. Reiffenstuel n. 12. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 4. n. 3. juxta quos ad inducendum hoc impedimentum requiritur, ut copula carnalis non solum attentata, sed etiam perfecta sit, & consummata, cum immisione seminis in vas; quia Jus, hoc Impedimentum statuens, pœnale est, Leges autem pœnales strictè accipiendæ sunt, atque in sensu proprio, in quo acceptum adulterium non significat id, quod attentatum solummodo, sed quod perfectum, & consummatum est; ergo &c.

15. Dubium est, an sufficiat copula adulterina consummata, si concurrat cum Matrimonio inito cum adultera clam solum, absque Parocho, & testibus? Videtur non sufficere; quia hujusmodi Matrimonium est profus irritum, ac vi etiam Sponsalium destitutum, prout dictum est supra Tit. 3. n. 125. Sed dicendum sufficere. Ita Sanch. D. 79. cit. n. 8. Conink D. 31. n. 61. fin. Palao tr. 28. D. 4. p. 12. n. 9. Pirhing hic n. 1. quia in inducendo Impedimento isto non ponderatur valor Matrimonij, vel Sponsalium; imò ambo invalida sunt à delicti istius complicitibus contracta, Matrimonium

quidem ob Impedimentum Ligaminis, Promissio verò, seu Sponsalia ex argumento afferendo infra n. 40. & 41.

Quæritur 8. Utrum necesse sit, ut tam adulterium, quàm promissio, vel attentatio Matrimonij facta sit, adulteri conjugis adhuc superflite? R. Affirmativè. Ita Ancharan. in c. fin. h. tit. n. 2. Tabien. V. Impedimentum, Imped. 7. q. 2. n. 3. Sot. in 4. dist. 37. un. art. 4. col. pen. Sanch. D. 79. cit. n. 5. Wiestner hic n. 5. & colligitur ex c. fin. cit. quod expressè petit, ut utrumque contingat conjugis adulteri superflite. Atque hinc copula, aut fides, sive Matrimonium, de præsentì defacto ininitum, præcedant Matrimonium ininitum cum legitimo conjugis, aut isto per conjugis mortem dissoluto, eveniant, non contrahitur hoc Impedimentum; & hoc verum est, sive utrumque præcedat, aut sequatur Matrimonium, sive unum præcedat, aut sequatur, alterum fiat eo stante.

Dubium est, an Impedimentum istud incurrant adulteri, si promissio Matrimonij, & adulterium non sit factum sub eodem conjugio? Casus esse potest: Titius, vivente conjugis sua Bertha, promittit Matrimonium Mæviam, mortuã autem Berthã, non Mæviam, sed Cajam ducit, cum quã dum Matrimonium habet, adulterium committit cum Mæviam: hoc casu quæritur, utrum mortuã Cajã, possit adhuc ducere Mæviam? Joan. Andr. in c. fin. h. tit. n. 3. Ant. de Butrio ibid. n. 5. Ancharan. n. 3. Henric. n. 4. negant, quòd hoc casu Titius ducere possit Mæviam; quia verum jam est adulterium, & promissionem evenire superflite conjugis: quod solum c. fin. cit. petitur.

Sed multò verius est, Titium hoc casu nullum contraxisse Impedimentum, sed posse ducere Mæviam; quia ut Impedimentum criminis inducatur per adulterium, opus est, ut tam promissio Matrimonij, quàm adulterium facta sint sub eodem conjugio. Ita Abb. in c. fin. cit. n. 5. Alex. de Nevo ibid. n. 8. fin. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 9. di. 5. Sot. in 4. dist. 37. q. un. art. 4. §. dubium autem, Sanch. D. 79. cit. n. 6. Conink D. 31. n. 60. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 4. Pal. tr. 28. D. 4. p. 12. n. 8. fin. Barbof. in c. fin. cit. n. 3. Gonzal. ibid. n. 4. Wagnereck §. secunda conditio, Canif. hic n. 5. Engl. n. 9. §. demum, Pirhing n. 14. Schambog. n. 10. König n. 12. fin. Reiffenstuel n. 10. Ratio est, quia per posterius Matrimonium recessum est à fide data, ac proinde solum adest adulterium, & spes Matrimonij Mæviam facta extincta fuit per posterius Matrimonium, adulterium autem solum non inducit Impedimentum dirimens criminis, ut dictum est supra n. 5. ergo &c.

Idem dicendum, si è converso adulterium commissum sit sub priore conjugio, fides verò data, vel Matrimonium ininitum sub posteriore. Sanch. l. cit. & colligitur ex c. fin.

fin. cit. ibi, Dum vixerit uxor ipsius, & c. propositum 1. eod. ibi, Et illam maxime, cui fidem dederat, uxore sua vivente, qui textus videntur exigere simul adulterium, & promissionem, vel Matrimonium, vivente eodem conjugue; ponderant enim injuriam eidem Matrimonio irrogatam, & occasionem datam ejusdem conjugis occidendi: quorum neutrum contingit in casu proposito.

20 Quaritur 9. Qualis debeat esse promissio Matrimonij, ut cum adulterio inducat Impedimentum criminis? *1. Debet esse promissio signo aliquo externo expressa ab una parte, & ab altera parte per simile signum externum acceptata. Ita Emmam. Sà V. Matrimonium de Impedim. n. 7. Sanch. l. 7. de Matr. D. 79, n. 7. § 22. Gutier. de Matr. c. 105, n. 28. §. quinta conditio, Conink D. 31, n. 56. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10, n. 4. §. quinta conditio, Palao tr. 28, D. 4, p. 12, n. 8. § 10. Bosco de Imped. Matr. sect. 8. concl. 3. n. 128. Barbof. in c. fin. h. tit. n. 2. Wagnereck ibid. §. tertia conditio Vallenf. hic n. 2. §. tertius casus, Engl n. 9. resp. 2. Pirhing n. 15. Schambog. n. 11. König n. 11. Reiffenstuel n. 16. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 4. n. 7. Et quidem quòd promissio debeat esse aliquo signo externo expressa, patet ex eo, quia animo solùm re-tenta non potest esse nota alteri, ac proinde anam mortem conjugi machinandi non præbet. Quòd verò debeat esse ab altera parte acceptata, inde eruitur; quia alioquin non haberet vim pacti, seu promissionis, quæ exigit duorum in idem consensum, sed erit mera pollicitatio.*

21 *Dubium est, utrum sufficiens acceptationis signum sit taciturnitas ejus, cui promissio fit? Videtur sufficere ob Regulam, Qui tacet, consentire videtur. 43. in 6. Verùm quia hæc Regula locum non habet, quando promissio est nociva acceptanti, hinc dicendum, non sufficere taciturnitatem solam. Sanch. D. 79, cit. n. 25. Pallao n. 10. cit. Tambur. l. 8. de Sacram. tr. 1. c. 6. §. 1. n. 3. Bosco de Imped. Matr. sect. 8. concl. 4. n. 128. Illfing tr. 6. D. 9, n. 78. Zæf. hic n. 3. Reiffenstuel ibid. n. 16. quia ea promissio, etiam liberaliter facta, nociva est acceptanti, cum per eam incurratur delictum, & impedimentum dirimens. Ex quo etiam confirmatur Responsio; nam ex taciturnitate solùm præsumitur consensus. Atqui delicta in dubio præsumuntur l. merito 51. ff. pro Socio. Et esto, is, cui promissio fit, revera illam in mente acceptet, quia tamen acceptationem istam nullo idoneo signo externo exprimit, ideo consensus iste adhuc censetur esse merè internus; non solent autem Jura actui merè interno pœnam statuere, quòd cogitationis pœnam (in foro externo) nemo pœniatur, ut dicitur can. cogitationis 14. dist. 1. de pœnit. & l. cogitationis 18. ff. de Pœnis.*

Quaritur 10. Utrum requiratur, ut ¹² Matrimonium ab uno verè, h. e. animo se obligandi promissum, & hæc promissio ab altero non fictè, sed verè, & saltem virtualiter sit acceptata? Negant, & promissionem, vel acceptationem fictam sufficere contendunt Joan. Andr. in c. significasti 6. h. tit. n. 2. fin. Ant. de Butr. ibid. n. 8. Ancharan. n. 2. Alex. de Nevo n. 9. Barth. à Ledesma, de Matr. dub. 58. concl. 5. Sanch. l. 7. de Matr. D. 79, n. 10. Gutier. de Matr. c. 105, n. 28. §. quarta conditio, Conink D. 31, n. 57. Palao tr. 28, D. 4, p. 12, n. 11. § 12. Gonz. in c. fin. h. tit. n. 4. Engl hic n. 9. resp. 3. Argumentum sumunt ex c. significasti cit. ubi indicatur sufficere, si vir, vivente uxore, fidem dederit uxori, videlicet adulteræ, de Matrimonio contrabendo: quæ verba unius promissione verificantur; igitur etsi unius consensus fictus fuerit, modò alter verè, & ex animo consenserit, secundum istorum doctrinam jam incurretur hoc Impedimentum. Excipit Sanch. l. cit. si fictio ab altera signis externis colligi potuit; tunc enim nec ite potuisset præstare verum consensum.

Sed contrarium melius propugnant ²³ Henriq. l. 12. de Matr. c. 14. n. 3. fin. Sà V. Matrimonium de Impedim. n. 7. Rodriq. tom. 1. Summ. c. 229. n. 7. Hurtad. D. 23. diff. 2. n. 9. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 4. §. quinta conditio, Perez D. 23. sect. 4. n. 2. sect. 5. n. 3. Bosco de Imped. Matr. sect. 8. concl. 3. n. 76. Illfing tr. 6. D. 9, n. 84. Pirhing hic n. 15. Schambog. n. 10. König n. 12. Reiffenstuel n. 15. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 4. n. 5. § 6. Rationem dant 1. quia Impedimentum hoc, prout ex hæcenus dictis liquet, introductum est in pœnam; igitur de vera, & verè acceptata promissione accipiendum est, cum Leges pœnalis strictam interpretationem exigant. 2. Jura videntur exigere promissionem ex se sufficientem ad Sponsalia; ad hæc autem ex comuni DD. requiritur promissio vera, & verè acceptata, ut dictum est Tit. 1. n. 27. 3. Nam etiam fictè rebaptizans, & fictè proferens Hæresin excusantur ab Irregularitate, & ab Excommunicatione contra Hæreticos imposita.

Ex quo patet ad textum in contraria ²⁴ sententiam allegatum; cum enim in materia pœnali, & odiosa accipi verba strictè, & cum effectu debeant, c. cit. dispositio intelligenda est de tali promissione, quæ vim pacti, & non merè pollicitationis habeat, qualem non habet promissio acceptata duntaxat fictè.

Quaritur 11, an, ut incurratur hoc ²⁵ Impedimentum, requiratur, promissionem Matrimonij esse puram, & absolutam, vel sufficiat, ut sit conditionata? Sanch. l. 7. de Matr. D. 79, n. 11. utitur distinctione: Vel enim conditio, sub qua promissio Matrimonij facta est, ante patratum adulterium deficit

facit, vel illa ante istud non deficit, si primum, faretur, impedimentum hoc non induci; quia tunc deficiente conditione, dissoluta esset profus promissio, & quasi nunquam extitisset, ut proinde adulterium superveniens destitutum sit promissione, atque adeo inducere Impedimentum nequeat. Si secundum, affirmat induci; quia tunc cum adulterio adest promissio, quæ etsi conditionata sit, spem tamen conjugij futuri facit, adeoque anam dat machinandi mortem conjugis, non minus, ac illam dat promissio absoluta; igitur sicut hæc accedente adulterio, impedimentum criminis inducit, ita etiam conditionata, cujus conditio ante adulterium commissum non deficit.

16 Verum hoc Argumentum non probat intentum; quia cum conditio ista sit contingens, possitque esse, vel non esse, non præbet spem adeo certam futuri conjugij, prout illam præbet promissio absoluta; adeoque imprimis non est paritas rationis: deinde etsi esset rationis paritas, Leges pœnales etiam ob paritatem, & similitudinem rationis de casu ad casum extendi non debent.

27 Quare dicendum, ad hoc, ut Impedimentum criminis incurratur, necesse est, ut promissio sit pura, & absoluta, vel saltem conditio ei adjecta ante mortem conjugis purificata. Ita Conink D. 31. de sacr. n. 59. Hurtad. D. 23. diff. 2. n. 10. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 4. §. sexta conditio, Palao tr. 28. D. 4. p. 12. n. 13. Vincent. de Just. de Dispens. Matr. c. 6. n. 41. Engl. hic n. 9. König. ibid. n. 12. Ratio est, quia promissio conditionalis, quamdiu adhuc suspensa est, & ab eventu futuro pendet, non habet rationem veræ promissionis; verba autem Legis pœnalis, qualis est ista inducens Impedimentum criminis, stricte accipi debent, & de promissione vera Matrimonij; igitur ad conditionalem promissionem extendi non debet.

28 Simili ratione idem Impedimentum etiam non inducitur, cum adulter adulteræ dicit, *Mortuâ uxore meâ, nullam aliam ducam, nisi te*; nam sensus verborum istorum videtur esse conditionalis, *Si aliquam duxero, promitto me ducurum te*, & ita promittens non præcisè se obligat ad Matrimonium, quin possit ab eo abstinere. Laym. n. 4. cit. §. accedit, Engl. n. 9. Multo minus confurgit Impedimentum hoc, quando conjugatus dicit adulteræ, *Si non essem conjugatus, te ducem*; quia ut bene Sanch. D. 79. cit. n. 16. verba hæc promissionem omnino non important, cum non detur fides de Matrimonio imposterum contrahendo sed tantum significetur voluntas aliqua imperfecta, quam TT. *Velleitatem* appellant.

29 Quæritur 12. An ad inducendum hoc Impedimentum requiratur, ut promissionem ab una parte factam sequatur repromissio alterius partis? Affirmant Henrig. l. 12. de R. P. Schmalzgrueber L. IV.

Matr. c. 14. n. 3. Bellarm. l. 1. de Matr. c. 22. cas. 2. Ugolin. de Sacr. tr. de Matr. c. 19. n. 8. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 4. §. quinta conditio, Schamb. hic n. 11. Rationem dant 1. quia cum Jura requirant Matrimonium defacto initum, vel fidem datam de Matrimonio ineundo, requirere videntur, ut sit initum Matrimonium, vel sint inita Sponsalia, in quibus requiritur mutua desponsatio, & repromissio. 2. Verba *c. veniens* 7. & *c. fin. b. tit.* important promissionem; sed promissio proprie, & specificè accepta est pactum quoddam, desiderans mutuum consensum promittentis, & ejus, cui sit promissio; aliàs pollicitatio tantum erit; ergo &c. 3. Impedimentum hoc inductum est in pœnam utriusque contracturi Matrimonium; utrumque enim afficit inhabilem illum reddendo; ergo uterque reus debet esse delicti, ob quod imponitur; atqui delictum hoc cessat in eo, qui audita promissione minime repromittit; ergo &c.

Hæc sententia quamvis probabilis omnino sit, probabilior tamen est, quæ docet sufficere solam promissionem sine repromissione alterius partis, modò ab hac illa sit verè acceptata. Ita Sot. in 4. dist. 37. q. un. art. 4. cas. 2. Angles in florib. p. 1. de Matr. q. 9. art. 3. dub. 2. Lud. Lop. p. 2. Instr. c. 54. crim. 2. Sanch. l. 7. de matr. D. 79. n. 20. Hurtad. D. 23. diff. 2. n. 9. Pont. l. 7. c. 45. n. 2. Palao tr. 28. D. 4. p. 12. n. 12. Bosco de Imp. matr. sect. 8. concl. 4. Wagnereck in c. fin. b. tit. §. tertia conditio, Engl. hic n. 9. respons. 3. König. n. 12. Reiffenstuel. n. 17. 1. Quia can. *Relatum*, c. *significasti*, c. *veniens*, c. *fin. cit.* quibus Impedimentum istud inductum est, solius fidei datæ cum adulterio meminerunt: & nullibi invenitur desiderari repromissionem alterius. 2. Eodem c. *significasti*, & c. *veniens* æquiparantur ad hoc Impedimentum inducendum machinatio in mortem conjugis, & futuri Matrimonij promissio; atqui cum adest adulterium, sufficit unum ex complicibus machinatus esse mortem legitimo conjugii, ut *infra* n. 53. dicetur; ergo &c. 3. Ratio inducendi hujus Impedimenti locum habet etiam, quando unus tantum promittit Matrimonium, alter acceptat sine repromissione; quia periculum insidiarum, & votum captandæ mortis non inde provenit, quia promissarius obligatus est, vel reciprocè promittit, sed quia alium obligatum habet.

Neque obstant Argumenta contraria. 31

Ad 1. Hoc Argumentum manifestè continet petitionem principij; nam de hoc ipso quaeritur, an textus, hoc Impedimentum inducentes, petant promissionem sufficientem ad constituenda Sponsalia. Ad 2. promissio acceptata etiam sine repromissione jam distinguitur à pollicitatione nuda, cum sit vera promissio, quamvis gratuita tantum. Ad 3. Alter non repromittens culpam in eo ha-

habet, quod promissionem hanc iniquam acceptet; vel si neges hoc culpam esse, dic impedimentum hoc ab innocente incurri indirectè saltem, quatenus scilicet illud directè incurrit promittens; nam dum iste ad contrahendum cum complice fit inhabilis, confectaneum est, ut etiã iste inhabilis reddatur ad contrahendum cum illo, sicut *suprà n. 2. dixi de Infidelibus.*

32 **Quæritur 13.** An necessarium sit, ut promissio Matrimonij, ab adultero facta adukeræ, sit jurata, vel contrà sufficiat simplex acceptata? Negant apud Sanch. l. 7. de Matr. D. 79. n. 28. nonnulli ad inducendum hoc Impedimentum sufficere promissionem simplicem, sed requirunt promissionem fidei, vel etiam Juramento vallatam: quod desumunt ex *can. relatum 4. caus. 31. q. 1. ubi Concilium Triburienſe, dum Impedimentum istud decernit, mentionem de Juramento facit, ibi, Vivente viro suo, Juramentum dedisse. Confirmant ex c. propositum, c. significasti, c. fin. cit. b. tit. qui omnes textus fidei dationem petunt; atqui fidem dare, & jurare apud DD. ut notat Sanch. l. cit. pro eodem sumuntur, cum hoc solum discrimine, quod Juramentum appelletur, quando re Sacra tacta præstatur; fides vero interposita, quando per DEUM, per fidem propriam absque Sacra rei contactu juratur.*

33 Sed dicendum sufficere promissionem simplicem, accedente adulterio. Ita Joan. Andr. in c. significasti cit. n. 2. Ant. de Butrio *ibid. n. 7.* Alex. de Nevo n. 9. Sylv. V. Matrimonium 3. q. 9. dist. 4. Sot. in 4. dist. 37. q. un. art. 4. col. penult. Henric. l. 12. de Matr. c. 14. n. 3. Sanch. D. 97. cit. n. 29. Barboſ. in c. 1. b. tit. n. 4. Gonzal. in c. fin. eod. v. 4. König *hic n. 12.* Ratio est, quia qualitercunque promittitur Matrimonium, militat eadem ratio, nimirum periculum machinandi in mortem conjugis spe ineundi Matrimonij.

34 **Ad Argumentum oppositum** imprimis ex doctrina Abb. in c. 1. de Spons. duor. n. 1. & Alex. de Nevo *ibid. n. 2.* pactio quantumcunque simplex inita potest appellari fides; atque ita veniens contra promissionem potest dici venire contra fidem præstitam. Deinde esto, datio fidei aliquid præter simplicem promissionem de Juris rigore significet, consuetudo, quæ optima interpret Legum est, & ipsa ratio Canonum i. e. Votum captandæ mortis suadet, ut idem sentiamus de promissione simplici, ne defectuosa dicatur Constitutio Juris.

35 **Quæritur 14.** Quale Matrimonium esse debeat, contra cujus fidem committitur adulterium, & contrahitur Matrimonium novum, vel promissio sit de eo contrahendo post mortem legitimi conjugis? R. Matrimonium, cum prima conjugate initum, debet esse validum; si enim hoc esset irritum, non committeretur verum adulte-

rium, & locus foret Regulæ, Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum, quæ est 52. in 6. S. Thom. in 4. dist. 35. q. un. in fin. in exposit. liter. Gabr. *ibid. q. un. art. 2. post concl. 12. §. dictum.* Petr. de Sot. *l. cit. 9. de Matr. Emn. Sa V. Matrimonium de Imped. n. 7.* Sanch. l. 7. de Matr. D. 79. n. 30. Vivian. in c. 2. h. tit. §. secus. Barboſ. *ibid. n. 1.* Gonzal. in c. fin. eod. n. 4. Canif. *hic n. 3.* Zœl. n. 3. Honor. n. 3. Schambog. n. 7. Reiffenſtuel n. 8.

Parum autem refert ad Impedimentum hoc contrahendum, an Matrimonium cum conjugate ratum tantum sit, vel etiam consummatum; nam impedimentum hoc contrahitur, etiam si ratum solummodo sit conjugium, ut ex c. significasti 2. h. tit. desumunt Abb. *ibid. n. 1.* Alex. de Nevo n. 5. Sylv. V. Matrimonium 3. q. 9. dist. 4. Sanch. D. 79. cit. n. 30. Gutier. c. 105. de Matr. §. sexta conditio. Laym. Libr. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 3. Vivian. in c. 2. cit. pr. Wagnereck in c. 3. not. 3. §. sexta conditio. Canif. *hic n. 1.* Honor. n. 1. Wiefner n. 4. Reiffenſtuel n. 6. Sufficit etiam, quamvis conjugate viventi adulter non cohabitavit, sed ab eo per divortium sit separatus per textum c. ex litterarum 4. h. tit. Abb. *ibid. n. 2.* Alex. de Nevo n. 3. §. 5. Vivian. in c. 4. eod. pr. Sanch. §. alij *suprà.*

37 **Quæritur 15.** An is, qui vivente legitima sua uxore, contraxit Matrimonium defacto cum alia, ignorante primam uxorem ipsius vivere, post mortem istius licite manere possit cum secunda? R. non solum licite manere cum secunda potest, sed nec, si ab ea separari petat, separari ab illa debet, sed cogendus est renovare consensum, quamvis secunda hæc uxor, si velit, possit ab ipso divedere.

Dixi 1. *Eum licite manere cum secunda.* Ita statuitur c. veniens 7. h. tit. & ratio est quia, ut n. 10. dixi, Impedimentum criminis contrahitur tantum, quando uterque scit, alterum esse conjugatum; quod aliqui putant etiam procedere, quando ignorantia est supina, & crassa; sed, ut dictum est n. 11. probabilius est contrarium.

Dixi 2. *Eum, etsi petat ab hac secunda, conjugate separari, separari non debere.* Ita rescripsit Alexander III. c. propositum 1. b. tit. ubi etiam ratio redditur, quia dignum non est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet. Si tamen vir iste post mortem primæ suæ uxoris ante renovatum consensum cum secunda, contraheret Matrimonium cum alia tertia, illud teneret, ut notat Gloss. fin. in c. propositum cit. Vivian. *ibid. circa med. Pitching hic n. 3. not. 3.*

Dixi 3. *Cogendum esse renovare consensum;* quia Matrimonium, vivente prima conjugate, cum ignorante initum, invalidum est, nec validum efficitur post mortem primæ

ma, nisi interveniat novus consensus. Vivian. in c. 1. cit. fin. Barbof. in c. 7. eod. n. 3. Canif. hic n. 1.

Dixi 4. Secundam istam uxorem, si velit, posse à viro suo discedere; quia decepta fuit, & ignara contraxit, putans illum, cum quo contraxit, non habere aliam uxorem. Barbof. in c. 1. cit. n. 1. §. probat. Engl. tit. de spons. duor. n. 4. Canif. n. 1. Zoel. n. 3. Honor. n. 5. Reiffenstuel n. 11.

Dixi 5. Ignorante primam uxorem ipsius vivere; nam si hæc scivit, primam uxorem adulteri vivere, separandi sunt etiam post mortem legitimæ uxoris ob impedimentum dirimens contractum, quanto eundem tempore cohabitaverint, & filios etiam susceperint, prout statuitur c. cum haberet 5. b. tit.

40 Quaritur 16. An licet, aut valide saltem promitti alicui Matrimonium possit, vivente adhuc legitimo conjugate? *xy.* talis promissio, licet non irritet Matrimonium, ex post facto per novum consensum initum, grave peccatum continet, cum turpe reputetur, constante Matrimonio de alio pacisci, & aliquam saltem occasionem præbeat captandæ mortis, ut proinde non immerito prohibeatur c. fin. b. tit. ubi præcipitur, ut talibus poenitentia injungatur, non injungenda, nisi graviter in hoc deliquissent. Abb. ibid. n. 2. Sanch. l. 7. D. 79. n. 40. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 7. Palao tr.

28. D. 4. p. 12. n. 14. Gonzal. in c. fin. cit. n. 4. Schamb. hic n. 4.

Imò hujusmodi promissio est omnino invalida, ita, ut ex se obligationem nullam inducat juxta DD. *citt.* quia contra bonos mores est, tanquam inductiva occasionis captandi mortem legitimi conjugis, ob quam rationem Jure Ecclesiastico annullatur promissio Præbendæ non vacantis c. nulla 2. de concess. Præbend. & Jure Civili pactum super hæreditate viventis. l. fin. de Pact.

Quaritur 17. Quænam ergo conditiones requirantur, ut adulterium dirimat Matrimonium inter adulteros? *xy.* hæc ex ijs, quæ hæcenus dicta sunt, colliguntur. 1. Requiritur, ut adulterium concurrat cum Matrimonio defacto inito cum adultera, vel cum promissione illius ineundi post mortem legitimi conjugis, juxta n. 4. 2. Ut tam adulterium, quam promissio, vel attentatio Matrimonij facta sit, adulteri conjugate adhuc superstiti juxta n. 16. 3. Ut Matrimonium, cum prima conjugate initum, sit validum juxta n. 35. 4. Ut uterque adulter sciat, alterum esse conjugatum juxta n. 10. 5. Ut promissio, ab una parte facta, sit ab altera parte acceptata, & ab utroque animo non ficto, sed serio juxta n. 20. & seqq. 6. Ut copula carnalis non solum attentata, sed etiam perfecta sit, & consummata, cum immisione feminis in vas juxta n. 14.

§. II.

De Impedimento Criminis, orto ex Homicidio, vel machinatione illius.

S U M M A R I U M.

43. Casus, quibus ex Homicidio oritur Impedimentum Criminis dirimens.
44. Defenditur Impedimentum hoc adversus Lutherum, & Melanchtonem.
45. Oritur non tantum, si vir uxorem, sed etiam si uxor virum occidat.
46. Non tangit Infideles, si uterque talis sit; secus, si unus Fidelis.
47. 48. Quomodo Impedimentum hoc possit Infideles afficere?
49. Sc. Requisita, ut oriatur ex adulterio, & machinatione cædis.
53. 54. 55. Requisita, ut oriatur ex machinatione cædis, adulterio non interveniente.
56. 57. An ad Impedimentum hoc inducendum sufficiat sola ratihabitio cædis ab altero perpetrata?
58. An incurrat Impedimentum Criminis etiam ab eo, qui ignoravit istis criminibus impediri, & dirimi Matrimonium?
59. Defenditur affirmativa.
60. Hujus Sententiæ ratio.
61. Solvuntur Argumenta opposita.
62. 63. Est Impedimentum hoc criminis perpetuum.
64. Nec cessat post quodcumque tempus.
65. In Impedimento orto ex Homicidio, si publicum sit, nunquam dispensat Pontifex; si occultum, Sacra Pœnitentiaria.
66. In eo, quod oritur ex adulterio, pro foro externo dispensat Pontifex.
67. Pro interno, si occultum sit, recurrendum est ad Sacram Pœnitentiariam, quæ dispensationem ordinariè committit Confessorio per Oratores eligendo.
- 41 Quaritur 1. Quibus casibus ex Homicidio oriatur Impedimentum criminis dirimens Matrimonium? *xy.* oritur & ipsum ex duobus casibus. Primus est, quando duo committunt adulterium, & eo perpetrato, ipsorum alter, animo Matrimonij cum altero ineundi occidit vel proprium conjugem, vel conjugem sui in adulterio complicitis. Secundus, quando quidem adulterium non intervenit, intervenit tamen occi-

cifio conjugis, facta ab ipsis, vel eorum confilio, aut iuffu ab alio, eo animo, ut possint, conjugē sublato, contrahere inter se nuptias. In utroque casu crimen homicidij inhabetiles facit ad Matrimonium inter se contrahendum. De primo hoc statuitur *can. si quis vivente 5. caus. 31. q. 1. c. tanta 6. qui fil. legit. c. propositum 1. super hoc 3. § c. significasti 6. b. tit.* De secundo autem *c. laudabilem 1. de convers. Infidel.*

44 Quæritur 2. An rectè Impedimentum istud inductum fuerit? Insuper adversus illud Lutherus, & Philippus Melancthon, objicientes exemplum Davidis, qui Bethsabæam uxorem Uriæ, illo occiso, in uxorem duxit, quod Matrimonium utique non fuit invalidum, cum non propter istius contractum, sed propter adulterium, & eadem innocentis Uriæ redarguatur David à Nathan.

Sed hoc Argumentum tale est, qualia Hæreticorum solent, futile scilicet. Probatur hoc quidem, quod Impedimentum istud non existerit tempore Veteris Testamenti; non tamen probatur, quod inductum non fuerit, aut introduci non potuerit in Testamento Novo, cum iustissima fuerit illius introducendi causa, scilicet atrocitas facti, quâ conjux conjugi, cui archifimo amoris, & amicitia vinculo deberet conjunctus esse, insidias in vitam illius parat, vel insidiandi ansam, & consilium dat alteri.

Dicendum igitur, Impedimentum istud Lege quidem Ecclesiastica tantum, sed iustissime inductum esse.

45 Quæritur 3. An Impedimentum, istud oriatur solum in casu, quo vir adulter intentione Matrimonij cum adultera contrahendi occidit uxorem suam, vel maritum adulteræ, an verò etiam casu, quo mulier adultera intentione Matrimonij cum adultero contrahendi occidit suum maritum, vel uxorem adulteri? Gutier. *de Matr. c. 105. n. 10.* putat nullum nasci Impedimentum ex Viricidio, eò quod non ita facile uxor mariti mortem procurare præsumatur, quam maritus uxoris: conf. ad eum casum, velut rarius contingentem, Impedimentum istud extendendum non sit *l. nam ad ea 5. ff. de LL.*

Sed obloquitur caterorum communis doctrina, quam præter alios defendunt Abb. *in c. propositum cit. n. 3.* Sylv. *V. Matrimonium 7. q. 6. dict. 1.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 78. n. 2. § 8.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 1.* Barbof. *in c. fin. b. tit. n. 5.* Gonzal. *ibid. n. 4.* Wagnereck *in c. 3. eod. not. 1. § not. 2. §. Secunda conditio.* Illung. *tr. 6. D. 9. n. 77.* Reiffenstuel *hic n. 19.* & patrocinatur apertè textus *can. si quis vivente 5. caus. 31. q. 1. & c. laudabilem 1. de convers. Infidel.* Quare dicendum, perinde esse, sive is, qui mortem machinatus est, sit vir, sive femina.

Neque obstat, quòd cæteri textus tantum loquantur de Uxoricidio; quia dispositio, etiam odiosa, & pœnalis, facta in uno correlativorum, procedit etiam de altero, quando nulla omnino apparet disparitatis ratio, ut notant DD. *in l. fin. C. de indict. viduit.*

Quæritur 4. An Impedimentum istud etiam Infideles tangat? *Certum est*, quòd eos non tangat, si uterque delinquens sit Infidelis; quia, ut *n. 44.* dictum est, Impedimentum istud inductum est solo Jure Ecclesiastico, quo Infideles non ligantur. Si unus fidelis sit, alter infidelis, interest, an eadem patriverit infidelis, an fidelis. Si infidelis, & homicidij particeps non fuit adultera fidelis, à neutro incurritur hoc Impedimentum: non ab infideli ob rationem allatam; nec etiam à fideli, quòd hæc homicidio non sit obnoxia, & pœna hæc ob adulterium sine homicidio non sit imposita. *Secus*, si eadem patriverit fidelis, vel ejus ab infideli patrata est particeps; tunc enim Impedimentum criminis ex hoc capite incurrit fidelis, & per consequentiam etiam infidelis, ita, ut etiam postquam iste ad Fidem conversus est, inter ipsos stare Matrimonium nequeat: quod verum est, etsi uxor fidelis hoc fecerit, ut vir infidelis, inito cum ipsa Matrimonio, convertatur ad Fidem *c. laudabilem 1. de convers. Infid.* ubi ratio datur, quòd tale damnatum tali lucro. *Ecclesia compensare non velit.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 78. n. 3.* Gutier. *c. 105. de Matr. n. 5.* Wagnereck *in c. 3. b. tit. not. 2.* Vallens, *hic pr. Illung tr. 6. D. 9. n. 77.*

Dubium est, quomodo cædes, ab infideli patrata ante Baptismum susceptum, respectu ipsius inducere possit Impedimentum Matrimonio dein contrahendo cum uxore occisi? *Ratio dubitandi est 1.* quia infidelis, dum eadem patriverit, ponitur nondum suscepisse Baptismum, igitur subditus nondum erat Ecclesiæ, si autem subditus nondum fuit, etiam Impedimentum istud, utpote merè Ecclesiasticum, contrahere non potuit. *2.* Lex ista pœnalis est. Lex autem pœnalis infidelem non adstringit, & si adstringeret, & conf. incurta fuisset pœna per eam lata, sustulisset eam cum culpa Baptismus deinde susceptus. *3.* Si infidelis aliquid baptizet, vel ex Baptismo levet, ille non contrahit cognationem Spiritualem; quia cognatio ista à Jure Ecclesiastico est inducta, cui infidelis non subjacet. *4.* Ob eandem rationem per homicidium, à se ante Baptismum commissum, non incurrit Irregularitatem, quæ Ordinis susceptionem, & usum impediatur, igitur nec in nostro casu incurret Impedimentum dirimens Matrimonium, quod *Crimen* dicitur, cum & ipsum Jure Ecclesiastico sit inductum.

Sed hæc Argumenta generaliter non evincunt intentum, quamvis ansam distinctioni

tionem præbeant. Dicendum igitur cum Henric. l. 12. de Matrim. c. 14. n. 2. Sanch. l. 7. de Matr. D. 78. n. 3. Gutier. c. 105. de Matr. c. 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 6. Palao tr. 28. D. 4. p. 12. n. 6. Vallens. hic n. 3. §. sed quomodo, Pirh. tit. de convers. infid. n. 2. not. 2. Wiestner *ibid.* n. 3. hoc Impedimento directè affici solem uxorem fidelem, indirectè autem, & per consequentiam maritum infidelem, quatenus scilicet uxor fidelis per Constitutionem c. laudabilem cit. Si cooperata est cædi mariti sui, perpetuò inhabilis fit ad contrahendum Matrimonium cum viro infideli occisore: ex quo deinde sequitur necessariò, quòd neque iste possit eam ducere. Exemplum est in Impedimento Disparitatis Cultûs, quod quia Ecclesiasticum tantum est, directè afficere virum infidelem nequit, potest tamen afficere indirectè, quatenus videlicet afficit faminam & dum hanc incapacem reddit ad contrahendum Matrimonium cum infideli, per consequentiam incapacem efficit etiam virum infidelem, ut eam ducat. Ex quo cadunt Argumenta opposita.

49 Queritur 5. Quid requiratur, ut ob adulterium, & machinationem cædis in innocentem conjugem Impedimentum Criminis dirimens incurrat? R. 1. requiritur, ut adulterium hoc non tantum materiale, sed etiam formale fuerit: ac proinde, ut istorum saltem unus vero Matrimonio conjunctus fuerit alterius conjugis occiso, ejusque notitiam habuerit etiam alter. Emman. Sà V. Matrimonium de Impedim. n. 7. Sanch. l. 7. de Matr. D. 78. n. 12. Gutier. de Matr. c. 105. n. 14. Conink D. 31. n. 53. Palao tr. 28. D. 4. p. 12. n. 8. Perez D. 33. sect. 2. §. 6. Pirhing hic n. 26. Wiestner n. 61. Imò, ut Sanch. l. cit. notat, non sufficit, etiamsi uterque complex sit conjugatus, & talem se esse noverit, si ignoret alterum conjugatum esse; quia ut adulterium cum machinatione mortis dirimat Matrimonium inter adulteros, requiritur, ut adulterium sit respectu conjugis interfecti. tale autem non committit pars ignara, quòd complex adulterij sit conjugatus.

90 2. Ut tam adulterium, quam etiam homicidium sit consummatum, & non solum attentatum, ut colligitur ex *can. si quis vivente 5. caus. 31. q. 1. ibi, occidisse notetur.* Unde verba *Machinatio mortis*, quibus utuntur alij textus, cum effectu accipi debent arg. c. *relatum 4. de Cleric. non resid.* S. Thom. in 4. dist. 35. q. un. *fin. in expos. lit.* Gloss. in c. *super hoc 3. V. machinata b. tit.* Host. *ibid.* paulò post pr. Joan. Andr. n. 6. Abb. n. 4. Alex. de Nevo n. 4. Sylv. V. Matrimonium s. q. 9. dist. 1. Sanch. D. 78. cit. n. 7. Gutier. n. 9. Conink n. 50. Laym. c. 10. cit. n. 1. §. *neque refert secundo*, Palao p. 12. n. 4. Barbof. in c. 3. cit. n. 3. Wag- nereck *ibid.* not. 3. Gonzal. in c. *fin. eod. n.*

4. Vallens. hic n. 2. Zoel. n. 1. Engl. n. 4. Pirhing n. 24. Schambog. n. 12. König n. 10. Wiestner n. 11. Reiffenstuel n. 22. Ratio est, quia Leges pœnales de crimine perfecto, & consummato intelligi debent, nisi aliud constet. Unde nec mandatum, aut consilium de occidendo altero conjugè dirimit Matrimonium, si mors inde non sequatur, vel sequatur quidem, sed non dependenter à mandato, vel consilio, eò quòd interficiens jam aliunde ad necem inferendam determinatus fuerit, nec consilio, vel mandato animosior factus.

3. Ut adulterium prius, quam cædes 51 perpetretur; quia hanc subsequens carnale commercium adulterium non foret, ut rectè observant Conink D. 31. cit. n. 52. Pont. l. 6. c. 45. n. 5. Laym. c. 10. n. 2. §. *id verò fin.* Wagnereck in c. 3. cit. not. 3. §. *tertia conditio.* Sporer de Matr. n. 105. König hic n. 10. Wiestner l. cit. in *fin.* Quodsi uterque adulter conjugatus fuit, & cædes unius conjugis tantum, non utriusque præcessit carnale commercium, adulterium quidem committitur, ex causa tamen adulterij istius non incurritur impedimentum criminis, sed solum ex causa cædis, & quidem tum solum, quando communicato consilio cædes facta est; quia adulterium hoc casu causam cædi non dedit. Satis autem est ad inducendum ex causa adulterij Impedimentum dirimens, si mors ipsa sequatur, etsi machinatio adulterium præcesserit, ut si vir venenum propinet uxori, ut foeminam quandam ducat, uxore interfecta, & post factum cum ea adulterium committat, uxore nondum defuncta; quia hoc casu verificatur adulterium cum interfectione conjugis. Sanch. n. 10.

4. Ut cædes fiat animo Matrimonium 52 ineundi cum adulterij complice: & hinc si alia intentione v. g. ut libidini liberius vacare queat, unius adulteri conjux ab illo, vel ejus complice occideretur, ad Matrimonium inhabiles non redderentur. Ita S. Thom. in 4. dist. 37. q. 2. art. 2. Corp. Navar. Man. c. 22. n. 46. Henric. l. 12. de Matr. c. 14. n. 2. Sanch. D. 78. cit. n. 13. Gutier. c. 105. de Matr. n. 16. Conink D. 31. n. 51. Pont. l. 7. c. 45. n. 5. Bonacin. de Matr. q. 3. p. 6. n. 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 2. §. *tertiò*, Pal. tr. 28. D. 4. p. 12. n. 3. Barbof. in c. 3. b. tit. n. 3. Gonzal. in c. *fin. eod. n. 4.* Bosco de Imped. Matr. sect. 8. concl. 5. Illung. tr. 6. D. 9. n. 78. Canif. hic n. 10. Honor. n. 7. *fin.* Engl. n. 6. Schambog. n. 14. König n. 10. & colligitur ex *can. si quis vivente 5. caus. 31. q. 1. ibi, Occidisse notetur, ut conjugeretur.* Ratio est, quia Leges statuentes hanc pœnam intendunt impedire, nequis facilè interficiat conjugem spe conjugij cum adultera potiundi, hic autem finis cessat in iis, qui ex alia causa occidunt conjugem. ergo &c.

53 Quæritur 6. Quid requiratur, ut inducatur Impedimentum criminis dirimens ob machinationem necis in conjugem, quando adulterium non intervenit? 2. ad hoc inducendum tria requiruntur. 1. Ut in alterius conjugis mortem machinatus sit uterque; nam si alter tantum machinatus sit in mortem conjugis, v. g. maritus uxorem occidat, ignorante, vel contradicente muliere, cum qua Matrimonium contrahere desiderat, tunc Impedimentum istud Matrimonium dirimens inter eos non incurritur, nisi etiam adulterium intervenerit. Ita Henriq. l. 12. de Matr. c. 14. n. 2. Sanch. l. 7. de Matr. D. 78. n. 9. Conink D. 31. n. 53. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 2. Vallens. hic n. 1. Zoesl. n. 1. Engl. n. 3. Pirhing. n. 23. Schambog. n. 12. König n. 9. Reiffenstuel n. 25. & colligitur ex c. laudabilem 1. de convers. Infidel. ubi nulla mentione adulterij facta, Sarraceni, qui ex mandato, & consilio uxorum viros istarum peremerunt, à Matrimonij cum hujusmodi uxoribus contrahendis, etiam post Baptisimum susceptum arcentur.

54 2. Ut mors ipsa ex tali machinatione secuta sit, & non tantum ex imperitiâ, negligentia, vel aliâ culpa Medici, aut Chirurgi, vel ipsius etiam interfecti. Gloss. fin. in c. laudabilem cit. Abb. in c. super eo 3. b. tit. n. 4. Alex. de Nevo ibid. n. 4. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 9. dict. 1. Sanch. D. 78. cit. n. 7. Pont. l. 7. c. 45. n. 4. Canif. hic n. 9. Vallens. n. 2. Engl. n. 4. König n. 9. Wiestner n. 13. Reiffenstuel n. 22. & 25. & colligitur ex can. si quis vivente cit. ubi dicitur cum adultera posse contrahi Matrimonium, nisi forte vir, aut mulier priorem maritum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur: conf. ad inducendum hoc Impedimentum ex causa adulterij requiritur homicidium consummatum, igitur tale etiam requiretur ex causa machinationis communi consilio factæ, cum etiam hæc Constitutio pœnalis sit, & sic cum effectu accipienda. Parum autem interest, an proprijs manibus vim intulerint ambo, an unus tantum, & alter consenserit, vel jusserit, vel neuter physicè cooperatus ad necem fuerit; quia sufficit cooperatio moralis per mandatum, vel consilium occidenti datum. Sanch. l. cit. n. 5. Gutier. n. 7. Conink n. 50. Laym. n. 1. & neque refert secundo, Vallens. n. 1. Pirhing n. 20. Schambog. n. 12. König n. 9. Wiestner n. 13. Reiffenstuel n. 28. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 4. n. 18.

55 3. Ut conspiratio illa in eadem conjugis, aut mortis machinatio fiat ex intentione contrahendi Matrimonij cum illa ipsa, vel illo complice, prout dictum est supra de Impedimento criminis orto ex adulterio cum homicidio n. 52. Satis tamen est, si alter ex mortem conjugis machinantibus intendat Matrimonium inire, ut Sanch. n.

14. observat; quia tunc concurrat machinatio cum effectu, & animo contrahendi, & nuspam decernitur, utriusque intentionem desiderari. An verò intentio hæc debeat esse signo aliquo externo manifestata, controverium apud DD. est. Pontius l. 7. c. 45. n. 4. & Perez D. 23. sect. 1. n. 7. negant; affirmat Bosco de Imped. Matr. sect. 2. concl. 5. à n. 193. cujus sententiam approbat P. Reiffenstuel hic n. 24. Quidquid sit, ad praxin parum videtur hoc interesse; quia, ut idem Bosco post Sanchez n. 19. & Gutier. n. 23. notat, in foro externo semper præsumitur machinatio in mortem conjugis facta esse animo ineundi cum alia Matrimonium, si mulier, & vir alienus communi opera concurrunt ad mortem conjugis innocentis, vel quando præcessit adulterium.

Quæritur 7. An ad Impedimentum hoc inducendum sufficiat sola ratihabitio cædis alteri conjugi illatæ. Pars affirmans videtur ex hoc suaderi, quod aliàs ratihabitio retrahatur, & mandato æquiparetur etiam in delictis.

Sed dicendum, non sufficere; quia Jure exigunt machinationem in necem, qualis non est mera ratihabitio. Gloss. in can. si quis vivente cit. V. occidisse. Host. in c. laudabilem 1. fin. de convers. Infidel. Abb. ibid. n. 10. Armill. V. ratihabitio n. 5. Henriq. l. 12. de Matr. c. 14. n. 2. Sanch. l. 7. de Matr. D. 78. n. 6. Gutier. c. 105. de Matr. n. 8. Conink D. 31. n. 50. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. n. 1. & neque refert secundo, Palao tr. 28. D. 4. p. 12. n. 4. Gonzal. in c. fin. b. tit. n. 4. Illung tr. 6. D. 9. n. 79. Vallens. hic n. 1. Zoesl. n. 1. Pirhing n. 21. Schambog. n. 13. Reiffenstuel n. 21. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 4. n. 19. Et hinc si quis eadem conjugis, suo nomine factam, postea ratam habeat, impedimentum hoc non incurrit.

Neque obstat Regula pro Ratione dubitandi allata; quia ratihabitio retrahitur, & mandato æquiparatur ex sola fictione Juris. igitur locum Regula ista non habet in casu, in quo fictio locum non habet: non autem habet in casu questionis; quia ad inducendum Impedimentum istud, ut hæcenus dictum est, requiritur machinatio in mortem, quæ postquam mors jam illata est, intervenire non potest. Accedit, quia ratihabitio non comparatur mandato, nisi quando id Jure expressum est, ut in habente ratam percussione Clerici, atqui nullo Jure expressum est, hoc Impedimentum incurri etiam sola ratihabitione. Cum ergo Edictum de Matrimonio non contrahendo sit prohibitorium, ut quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur, ad eum casum extendi non debet, quo tantum facta est ratihabitio cædis nomine ratihabentis perpetrata.

Quæ-

Quæritur 8. An Impedimentum hoc Criminis ex adulterio, vel homicidio incuratur etiam ab eo, qui ignoraverit istis criminibus impediri, & dirimi Matrimonium? Negant Paludan. in 4. dist. 34. q. 1. n. 17. Major ibid. dist. 37. q. 1. art. 4. Fernandez Medull. Cas. confc. p. 3. c. 16. sect. 4. in fin. Rationem dant, quia Impedimentum criminis ex dispositione Juris Ecclesiastici habet rationem poenæ pro perpetrato crimine, & medicinæ, conducentis ad conjugiorum fidem, & incolumitatem conjugum servandam, variæque mala præcavenda. atqui ex communi doctrina poenæ, præsertim Medicinales, Jure Ecclesiastico statutæ, non incuruntur ab ijs, qui invincibiliter ignorant eas statutas esse. ergo &c. *Confirmant* hanc suam opinionem triplici paritate. 1. Cum Excommunicatione, & cæteris Censuris Ecclesiasticis, quæ ex communi doctrina ab ignorantibus non incuruntur *e, ut animarum 2. de Constitut. in 6.* 2. Cum Irregularitatibus provenientius ex delicto, v. g. ex homicidio, vel mutilatione injusta, aut Censuræ violatione, quæ non incuruntur ab ijs, qui invincibiliter ignorant, illas ejusmodi delictis annexas esse, ut iterum communis DD. habet. 3. Cum debito conjugali, cujus petendi Jus non amittit, qui peccat cum conjugis suæ consanguinea, si invincibiliter ignoravit Legem, quæ privationem juris petendi debitum in peccati istius reos constituit, ut multis DD. relictis docet Sanch. l. 9. de Matr. D. 32. n. 43.

Sed verius est, Impedimentum istud incurri etiam ab ignorante, quod his criminibus inducatur tale Impedimentum. Ita Dian. p. 16. tr. 13. resol. 51. Matthæus Moja tr. Miscell. q. 14. n. 15. Adam Burghaber cent. 3. c. 64. Gobat Experient. tr. 9. n. 202. Illung tr. 6. D. 9. n. 86. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. contr. 5. per totam. Engl tit. de consang. & affinit. n. 11. König bic n. 7. Wiefner n. 17. Keiffenstuel n. 26. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 4. n. 31. & his testibus communius DD. Accedit optima Juris dubij Interpres consuetudo, seu praxis tum Romanæ, tum aliarum Curiarum Ecclesiasticarum, in quibus illi, qui criminis adulterii, vel homicidij in quatuor hæctenus examinatis casibus rei sunt, ad Matrimonium secum invicem contrahendum sine Dispensatione nunquam admittuntur, testibus Corrado prax. Dispens. Apost. l. 2. c. 9. n. 7. Moja l. cit. n. 17. Wiefner n. 17.

Ratio est 1. Quia SS. Canones, dum Impedimentum hoc statuunt, loquuntur omnino generaliter, & indistincte. igitur etiam sic intelligendi sunt, nec ad personas, quæ Impedimenti istius notitiam habent, restringendi arg. l. de pretio 8. ff. de Public. in rem actio. 2. Cætera conjugiorum Impedimenta omnia, & in specie etiam affinitas ex copula fornicaria incuruntur ab ignoran-

te, quia decens non est tales connubio inter se invicem jungi, etsi Jus, Impedimenta hæc statuens, ignoraverint, atqui non minùs indecens est connubio jungi criminum istorum complices. ergo &c. 3. Inhabilitates, quæ non sunt merè poenales, contrahuntur etiam ab ignorantibus, ut patet ex consanguinitate, affinitate &c. talis inhabilitas Jure Ecclesiastico etiam est Impedimentum criminis; quia licet poenæ rationem habeat, non tamen est mera poena, sed conditio annullans contractum Matrimoniale. ergo &c. 4. Si criminis Impedimentum non contrahitur ab ignorante, eodem etiam non tenebitur, qui tempore, quo committit hujusmodi crimen, ex inadvertentia, vel oblivione non recordatur hujus Impedimenti; nam ignorantia, inadvertentia, & oblivio quoad vim eximendi à culpa, & poena à DD. æquiparantur. atqui Sequela, teste Moja, à nemine facile admittitur. ergo &c.

Ex his patet Responsio ad Argumentum adversæ Sententiæ. Dicendum, Impedimentum istud non esse meram poenam, sed inhabilitatem Jure constitutam etiam ignorantibus; & quidem meritò; quia in contrahendis Matrimonijs vel maxime inspicitur, quid deceat, honestumque sit l. adoptivus 14. §. servi les 2. ff. unde ff. de rit. nupt. & l. semper 197. ff. de R. J. atqui publicè inhonestum, ac perniciosum est Matrimonium inter personas, quæ conjugalem thorum adulterio polluerant, accedente pactione nuptiali, vel machinatione in necem legitimi conjgis. igitur meritò prohibentur à contractu nuptiarum inter se celebrando, ut sic tollatur periculum captandæ mortis alienæ; & præcaveantur adulteria. Ad Conf. 1. Alia est ratio Censurarum, & alia Impedimenti criminis; nam Censuræ non incuruntur sine contemptu potestatis Ecclesiasticæ. is autem, qui Legem, sub Censura aliquid verantem, aut præcipientem invincibiliter ignorat, dici non potest Ecclesiasticæ potestatis contemptor, & in eam contumax; neque enim disciplinam contemnit, qui ignorat l. si ignorans 50. ff. locati. Ad Conf. 2. Si Irregularitates ex delicto ortæ, ab ignorantibus non incuruntur, hoc ideo fit, quia licet non sint puræ poenæ, sunt tamen poenæ principaliter. at Impedimentum criminis est quidem poena, sed non purè; quia principaliter est inhabilitas ad contrahendum Matrimonium. Ad Conf. 3. Imprimis ex sententia valde communi privationem debiti conjugalis peccans cum consanguinea uxoris suæ incurrit, etiam si ignoraverit, illi delicto statutam esse hanc privationem: deinde esto, ab ignorante non incuratur, causa erit, quia vel pura poena est, vel saltem principaliter.

Quæritur 9. An propositum criminis Impedimentum sit perpetuum? Fuere vi-

ri aliàs non indocti, qui hoc negarent, & existimarent, Impedimentum istud, quod per adulterium cum promissione Matrimonij, vel ejus contractu defacto inito, vivente legitima uxore, contractum est, cessare, si cessetur ab adulterino commercio, & recedatur à Matrimonio, vel hujus promissione adulteræ facta.

Sed melius distinguitur: Vel enim ante adulterium commissum à Matrimonij defacto initi contractu, aut promissione recessum est, vel primum post commissum adulterium. Si primum recessus iste à Matrimonio, vel promissione illius non tollit, sed potius excludit Impedimentum criminis, ne incurratur: cujus ratio est, quia ad inducendum hoc Impedimentum, ut n. 5, dictum est, requiritur concursus adulterij cum Matrimonio, vel istius promissione. tali autem casu adulterium cum Matrimonio, vel hujus promissione non concurreret, vivente legitimo conjuge, ergo &c.

⁶³ Si secundum, recessus ille à Matrimonio, vel promissione illius Impedimentum semel contractum non potest tollere, ut recitè Sanch. l. 7. de Matr. D. 79. n. 7. Wiestner hic n. 22. Ratio est, quia nulla Juris autoritate, vel ratione evincitur, quod criminis Impedimentum ita cesset: imò Jus indiscriminatim, & nulla de recessu hoc mentione facta, adulteros, qui Matrimonium, vivente legitimo conjuge, defacto contraxerunt, vel de illo fidem sibi dederunt mutuo, Matrimonio, etiam conjuge defuncto, copulari prohibet. Conf. Si ab Impedimento isto semel contracto adulteri se per hujusmodi recessum possent eximere, illius introductione Matrimoniorum fidei parum fuisset consultum; neque enim ademptio spei conjugio potiùs efficaciter eos à commercio adulterino arceret, si scirent Impedimentum istud auferri, & amissam conjugij spem temporanei, & brevissimi recessus beneficio recuperari posse.

⁶⁴ Durat igitur hoc Impedimentum semper, neque cessat, etsi Delinquentes in putatio hoc Matrimonio mansissent per decennium, & ultra, ac plures ex illo liberos procreassent, prout statuitur c. cum haberet s. b. tit. quia, ut ibidem dicitur, multiplicitas prolis ita susceptæ magis eorum crimen exaggravat, & diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed augmentat, quod non poenitendo videantur contempsisse Divinum Judicium, & præceptum Ecclesiæ. Abb. in c. cum haberet cit. n. 4. Alex. de Nevo ibid. n. 9. Vivian. & etiam si in Ration. Barbof. n. 1. Gonzal. n. 3. Pirhing hic n. 9. Addit tamen ibidem Pontifex, Episcopum curare debere, ut uterque adulter Liberis suis, etiam ex adulterio natis, conf. spurij, quatenus suppetunt facultates, necessaria alimenta subministret: ubi inter Jus Canonicum, & Civile aperta fit differentia; Jus enim Civile

non vult tales proles ali à patre. Auth. ex complexu C. de incest. nupt.

Quæritur 10. Quis dispensare in Impedimento criminis possit? Juxta praxim Curie Romanæ, de qua latè Corrad. prax. Dispens. l. 8. c. 9. à n. 5. distinguendum est inter Impedimentum criminis, quod oritur ex conjugicidio, & inter illud, quod oritur ex adulterio.

In priore, si publicum est, Pontifex non dispensat, sive uterque, sive unus tantum ex contrahere volentibus mortem machinatus sit, ut removeatur votum captandæ mortis: pro quo Corrad. l. cit. n. 8. adducit exemplum Clementis VIII. qui, etsi pro dispensatione super hoc Impedimento, altero tantum machinante mortem, supplicatum eidem fuisset per potentissimos Oratores, nullo tamen modo voluit supradictam Dispensationem concedere. Si verò occultum sit, recurritur ad S. Poenitentiarium, quæ difficillimè, & non nisi ex urgentissimis causis dispensat, & quando facultatem dispensandi concedit, committit Confessario per Oratorem eligendo, ut eundem Oratorem, injunctâ prius gravi, & diuturnâ poenitentia, orationibus, & elemosynis pro anima defuncti, à contentis in Litteris, ab adulterio, homicidio, & excessibus hujusmodi absolvat, ac dispenset, ut Matrimonium de novo, secretè tamen ad evitanda scandala, contrahere possit, cum facultate etiam legitimandi prolem antè susceptam.

In posteriore Impedimento adulterij sine ⁶⁶ machinatione necis, iterum distinguendum est, an publicum illud sit, an verò occultum. Si publicum est, Summus Pontifex dispensat pro foro utroque: casu, quo tamen conjux, vivente conjuge cum alia defacto contraxit Matrimonium, & uxore defuncta, cum ea remanere vult, non aliter solet dispensare, quam negotio plenè in S. Congr. super Inquisitione discussio. Si verò Impedimentum occultum sit, recurritur ad S. Poenitentiarium, quæ committit Confessario per Oratorem eligendo, quatenus eos in foro conscientia, injunctâ pro modo culpæ poenitentia salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda, absolvat à quibusvis sententiis, Censuris, & poenis Ecclesiasticis, quas per præmissa incurrerunt, & si pericula scandalorum, nisi contrahant, vel in contracto Matrimonio perseverent, immineant, cum iisdem dispenset, ut Matrimonium publicè inter se contrahere, vel si illud jam antè vivente altero conjuge invalidè contraxerunt, renovare secretè consensum possint, cum facultate etiam legitimandi prolem antè susceptam.

Si uterque machinatus fuerit in ⁶⁷ mortem conjugis alterutrius, utrique præscribitur poenitentia salutaris, e. g. ut jejundet singulis sextis feriis per annum, ut certas preces pro anima defuncti genibus flexis recipiat.

recitent, & pro facultatibus suis certum numerum Missarum celebrari faciant, certis diebus per annum, e. g. singulis mensibus Sacramentalem Confessionem peragant, & Sacram Synaxin sumant &c. Et exaggerantur poenae istae pro qualitate delicti: imò, si enorme illud sit, etiam à Sacra Poenitentiaria Dispenfatio omnino denegatur, vel cum maxima difficultate conceditur, praefertim si Oratores veneno machinati sint in mortem conjugis; nam tunc discutuntur causae in plena Signatura ipsius Sacrae Poenitentiariae, an illae, quamvis sint gravissimae, debeant admitti, vel non; quia, ut dixit Gloss. in §. eadem lege, V. Venefici, Inst. de publ. Judic. plus est hominem veneno occidere, quam gladio extinguere.

Intelligendum autem hoc est, ut n. 50, & 54, dixi, si machinatio intervenerit

cum effectu; quia licet conatus, sive attentatio ad delinquendum debeat puniri, etiamsi non fuerit secutus effectus, de generali tamen consuetudine affectus, sive conatus, & attentatum non punitur, nisi sequatur effectus, Corrad. c. 9. cit. n. 13. & ita in casu veneni judicatum fuisse, testatur apud eundem Grammatic, decis. 2. n. 8. Et hinc si machinatio effectum sortita non sit, volentes contrahere Matrimonium Dispenfatione non indigent; quia cum Impedimentum istud sit Juris positivi, non debet ita taxari, ut restringatur facultas contrahendi Matrimonium contra dispositionem Juris Divini, Corrad. n. 14.

Videatur Corrad. c. 9. cit. Vinc. de Just. de Dispens. Matr. l. 2. c. 16. à n. 64. König hic n. 14.

JH V S H I T I T

M U M U S



R. P. Schmalzgrueber L. IV.

Kk

PARS